Divitis, etiam ad posteros transmisit. Princeps studiosissimus pacis, excellens civilitate summa & popularitate. Provocatus quidem, contra patruelem LUDOVIC. Barbatum arma sumpsit: sed eundem à filio captum, & in custodiam Onoldinam traditum magna vi auri (nummor. 32000.) redemit. Obiit Anno Dom. 1450.

MARGARETA Ducis Heinrici uxor, filia Alberti Patientis, Archiduc. Austr. Soror Alberti Regis Hungar. & Bohem. qui tandem in Imperatorem Roman. electus, elapso vix biennio post, morte interceptus est Anno 1439.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

Occurrit nobis Adavus statione secundus
HEINRICUS Boiis progeneratus Avis.
Suppositas urbes stellis Erymanthidos ursæ,
Hic adiit valida victor ubiq; manu.
Alter ut Amphytrioniades alterq; Camillus
Edidit in variis fortia facta locis.
Bastarnas vicitq; truces Henedosq; rebelles,
Invictum sensit Gens Lithuana virum.
Et tandem patriam spoliis ditavit opimis
Exactis octo mesibus inde redux.
Huic labor unus erat rebus succurrere lapsis,
Ut tutæ maneant absq; latrone viæ.
Ut castæ maneant in Religione Nepotes,
Constituit vero plurima templa Deo.
Dux Consanguineus Barbati nomine dictus,
Heu, passim Boios depopulavit agros.
Hunc captum domuit vinclisq; coërcuit arctis
BRANDENBURGIACI bellica turba Ducis.
At Pius HEINRICUS magnam vim contulit auri,
Captus ut è duro carcere liber eat.

Solvere